

culatione equestri condito, & fere inter omnes constare video. Diuersa autē circo ratio queritur. Itaq; cum bimi in alio subigantur imperio, non ante quinquentes ibi certamen accipit. Partum in eo genere vndenis mensibus ferunt, duodecimo gignunt. Coitus verno equinoctio bimo vtrinq; vulgaris, sed à trimatu firmior partus. Generat mas ad annos trigintatres vtpote cum à circo post vicesimum annum mittantur ad sobolem reparandam. * Et ad quadraginta durasse tradunt, adiutu modo in attollenda priore parte corporis. Sed ad generandū paucis animalium minor fertilitas, qua de causa per intervalla admissura dantur, nec tamen quindecim initus eiusdem anni valet tolerare. Equarum libido extinguitur iuba tonsa. Gignunt annis omnibus ad quadragesimum. Vixisse equum septuaginta quinque annis proditur. In hoc genere grauida stans parit, praterq; ceteras fetum diligit. Et sane equis amoris innaſci veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, carica magnitudine, colore nigro: quod statim edito partu deuorat foeta, aut partum ad vbera non admittit, si quis praeceptum habeat. Olfactu in rabiem id genus agitur. Amissa parente in grege armenti, reliqua foeta educant orbem. Terram attingere ore triduo proximo quam sit genitus, negant posse. Quo quis acrior, in bibendo profundius nares mergit. Scythae per bella feminis vti malunt, quoniam vrinam cursu non impedito reddant. Constat in Lusitania circo Olyssiponem oppidum & Tagum amnem, equas fauonio flate obuertas animalem concipere spiritū, idq; partum fieri, & gigni perniciosissimum ita, sed triennium vite non excedere. In eadem Hispania Gallaica gens, & Asturica, equini generis, quos thieldones uocamus, minori forma appellatos asturcones gignunt: quibus nō vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: vnde equis tolutim carpere i cursus traditur arte. Equo fere qui homini morbi, praterq; vesicae conuersio, sicut omnibus in genere veterimo.

De asinis.

CAP. XLIIII.

Asinum cccc. nummum emptum Q. Axio senatori, autor est M. Varro, haud scio an omnium pretio animalium victo: opera sine dubio geruli mirifica, arando quoq; sed mularū maxime progeneratione. Patria etiam spectatur in his, Arcadibus in Achaia, in Italia Reatinis. Ipsum animal frigoris maxime impatiens, ideo nō generatur in Ponto: nec equinoctio verno, vt cetera pecua, admittitur, sed solstitio. Mares * in remissione operis deteriores. Partus à tricesimo mense ocysissimus, sed à trimatu legitimus: totidem quot equae & eiusdem mensibus, & simili modo. Sed incontinens vterus * vrinam genitalem reddit, ni cogatur in cursum verberibus à coitu. Raro geminos parit: paritura lucem fugit, & tenebras querit, ne cōspiciatur ab homine. Gignit tota vita, quae est ei ad trigessimum annum. Partus charitas summa, sed aquarum tedium maius. Per ignes ad fetus tendunt. Ea-

dem, si riuus minimus interfit, horrent ita, vt pedes omnino caueant tingere. Nec nisi assuetos potant fontes, qui sunt in pecuarijs, atque ita vt sicco tramite ad potum eant: nec pontes transeunt, per raritatem eorum translucentibus fluijs. Mirumq; dictu, sitiunt: & si immutentur aquae, vt bibant cogenda * exorandae sunt. Nec nisi spatiosa incubitant laxitate. Variam namq; somnio visa concipiunt, ictu pedum crebro: qui nisi per inane emicuerit, repulsi durioris materiae claudicant ilico affert. Quaeſtus ex ijs optima praedia exuperat. Notū est, in Celtiberia singulas quadragenis milibus nummorum enixas. Ad mularum maxime partus, aurium referre in his & palpebrarum pilos aiunt. Quamuis enim unicolor reliquo corpore, totidem tamen colores quot ibi fuere, reddit. Pullos earum epulari Maecenas instituit, multum eo tempore prelatos onagris: post eum interijt autoritas saporis. Asino moriente viso, celerrime id genus deficit.

De mulis.

CAP. XLIIII.

Ex asino & equa mulus gignitur mense xij. animal viribus in labores eximium. Ad tales partus equas neq; quadrimis minores, neq; decennibus maiores legunt: arceriq; vtrinq; genus ab altero narrat, nisi in infantia eius generis quod ineant late hausto: quapropter surreptos pullos in tenebris equarū vberis, asinarumue equuleos admouet. Gignitur aut mulla ex equo & asina, sed effrenis & tarditatis indomita. Lenta omnia esse vetulis. Conceptum ex equo, secutus asini coitus, abortu perimit: non item ex asino equi. Faeminas à partu optime septimo die impleri obseruatum est, mares fatigatos melius implere. Quae non prius quam dentes, quos pullinos appellat, iaciat, conceperit, sterilis intelligitur, & quae nō primo initu generare coeperit. Equo & asina genitos mares, hinulos antiqui uocabant: contraque mulos, quos asini & equae generarent. Obseruatum, è duobus diuersis generibus nata, tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia: eaq; ipsa quae sunt ita nata, nō gignere, i omni animalium genere: Idcirco mulas non parere. Est in animalibus nostris peperisse saepe, verum prodigij loco habitū. Theophrastus vulgo parere in Cappadocia tradit: sed esse id animal ibi sui generis. Mula calcitratus inhihetur vini crebriore potu. In plurimum Gracorum est monumentis, cum equa muli coitu natum, quem vocauerint hinnum, id est, paruum mulum. Generantur ex equa & onagris mansuefactis mulae veloces in cursu, duritia eximia pedum, verum strigoso corpore, indomito animo, sed generoso. Onagro & asina genitus omnes antecellit. Onagri in Phrygia & Lycaonia praecipui. Pullis eorum cen praestantibus sapore, Africa gloriatur, quos lalifones appellant. Mulum lxxx. annis vixisse, Atheniensium monumentis apparet. Eo gauisi cum templum in arce facerent, quod derelictus senecta, cadentia iumenta comitatu vsuq; exhortaretur, decretum fecere quo caueretur, ne frumentarij ne gociatores ab incerniculis eum arcerent.

De bubus.

* Opunte & ad

* exonerandaue

* intermissione

* vrina genitale redd.